Dissertatio medica, inauguralis, de puerperarum febre ... / Eruditorum examini subjicit Joannes Pentland, Hibernus.

Contributors

Pentland, John.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1789.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vzvda72u

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Medical Society of London
Bolt Court

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PUERPEARUM FEBRE.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE PUERPERARUM FEBRE.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES PENTLAND,
HIBERNUS,
Societ. Reg. Phys. Edin. Soc.
ET
Ad acta edenda ab electis,
Societ. Chirurg. Obstet. Edin. Soc. Hon. et Praes. An.
NEC NON
Societ. Med. Dublin. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilythyia, tuere matres. HOR.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

ON MEDICAL SOCIETY

JOSEPHO CLARK, M.D.

Puerperarum Nosocomii Dublinienſis

MEDICO PRIMARIO;

Artis obſtetriciae

PRÆLECTORI;

Et

Regiae Academiae Hibernicae

Socio;

ANIMI,

Ob multa illius erga ſe beneficia

GRATI

Pro pignore,

HOCCE, quantulum ſit cunque, TENTAMEN,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

SACRUM

Eſſe voluit

Diſcipulus devinctiſſimus,

JOANNES PENTLAND.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PUERPERARUM FEBRE.

PROOEMIUM.

CUM leges quas alma haec Academia inſtituit, unumquemque medicos petentem honores, de quadam medicinae re diſſerere juſſerint; his obtemperans, pauca de Puerperarum Febre, ſummo ſtudio, et quam breviſſime potero, mecum ſtatui. Cur hunc, prae caeteris, morbum ſeligerem, occaſio ejus et vim et

 curſum

curſum ſtudioſe obſervandi, quae Dublini, 1787mo anno, ſeſe obtulit, quo tempore medicinae ſtudio ibi eſſem verſatus, ſola fere cauſa eſt. Eo enim tempore, in puerperarum ejus urbis noſocomio, per totum imperium Britannicum antiquiſſimo, et quidem hodie celeberrimo, magna inter puerperas vis febris coorta eſt. Rebus quae tunc ibi acciderunt ſumma cura notatis, pauca, in hac diſſertatione, iis, ab auctoribus ante me jam traditis, addere, mihi, hoc tempore, in animo eſt.

HISTORIA.

Hic morbus paroxyſmo, ei febris intermittentis ſimili, incipiens, mulierem, ſecundo tertiove poſt partum die, haud raro corripit. Quo autem accedat, ita variat tempus, ut aliquando admodum fiat incertum. In monumentis enim medicinae quaedam extant exempla, ubi in mulierem, viginti quatuor poſt partum horis vix elapſis, ingruerit. Nonnulla ſunt quoque exempla, in quibus, ante foetum quidem expulſum, acceſſerit haec

febris,

febris, et cum doloribus parturientis ſeſe confuderit [a]. Nec deſunt denique exempla, in quibus non, ante quartum vel quintum, vel etiam duodecimum [b] diem, primum ſuum impetum fecerit [c].

Febre invadente, vel brevi ſaltem poſt, aegrota de intenſo ac fere intolerabili conqueritur dolore; qui regionem hypogaſtricam praecipue occupat atque infeſtat, indeque ad omnem abdominis partem ſenſim ſeriuſque permanat; atque adeo acutus ſaepe evadit, ut aegrota, corpore quidem leviſſime tacto, graviter doleat et excrucietur.

[a] Vide Hulm. p. 4. [b] Hom.

[c] Ex aegrotis in Noſocomio puerperarum Dublinienſi, una, duarum poſt partum horarum ſpatio, mortem obiit. Per decem ante partum dies, adulterinis laboraverat doloribus; et quadraginta, poſt ruptas membranas, horas, foetus fuerat forcipibus extractus. Cadavere inſpecto, eaedem prorſus morbidae ſpecies oculis obverſatae fuerunt, quas ſecta cadavera caeterarum, quas haec febris abripuerat, puerperarum, exhibuerunt. Ex hoc, et quibuſdam aliis hujuſmodi exemplis, Doctor Clark, cui puerperae in Noſocomio, curae, eo tempore, erant, hanc febrem interdum mulieres, foetu quidem nondum expulſo, corripere, recte exiſtimavit.

crucietur. Abdomen fere ſemper eſt molle; interdum quoque graviter tumeſcit; ſine vero inflammatione aut rubore externo. Vomitus plus minuſve, prout intenſior vel levior ſit morbus, violentus eſt; quo urgente, materia bilioſa, coffeae faeces referens, ſurſum ejicitur. Longe autem abeſt, ut, hac in febre, ultimum hoc ſymptoma ſemper adſit. Incipiente enim morbo, alvus perſaepe, prout morbus graviore aut mitiore ſit indole, plus minuſve adſtricta eſt; in diarrhoeam tamen nunquam non deſitura. Omnia ad alvum dejiciendam molimina, acuto qui cito poſtea remittit dolore, ſemper ſtipantur. Alias, ſed perraro, alvus manet naturalis; ſaepius enim moleſtiſſima diarrhoea laborat aegrota.

Capitis, praeſertim circa tempora atque oculorum cava, acutus fere ſemper adeſt dolor, una cum inſolita debilitate, anxietate, et circa praecordia oppreſſione; pari, ac morbus ipſe, ratione graveſcens aut remittens.

Arteriae, febre primo adveniente, parum ſaepe afficiuntur; niſi quod ictibus, paululo ſolito plenioribus, crebrioribuſque micent. Saepius autem earum pulſus

plenus

plenus et durus eſt; et, dum ita ſe habet, ſymptomata alia, nec incerti nec fallaces diatheſeos phlogiſticae indices, ſeſe oſtendunt. Haec vero, progrediente morbo, decedunt omnino; pulſuſque ictum debiliorem atque frequentiorem relinquunt.

Lochiorum fluxus interdum parum impeditur; alias autem quantitate ſolito parciore, graveque olentia, effunduntur; omnino fluere rariſſime deſinunt. In pleriſque mammae relaxantur et flaccidae fiunt; atque lac omnino effluere deſinit, vel ſaltem parcius ſecernitur.

Remiſſio, viginti quatuor circiter horis, poſt primum febris acceſſum, interdum accidit; ſed pro ſigno ſalutifero fere nunquam propterea habenda eſt; quod rariſſime poſtea regreditur. Futuri ob anticipationem periculi, ſeu ob mortis inſtantis metum, aegrota, a primo morbi acceſſu, continuo fere pervigilio fatigatur.

Capitis dolor, qui, quam omnia fere caetera ſigna, gravius urget, hoc ſibi proprium habet, ut eum raro,

niſi

nisi forsan morte instante, vel appropinquante saltem, delirium insequatur.

Per totum morbi decursum, id quod magnopere quidem mirandum est, aegrota, donec extremum fere trahat spiritum, sui compos manet. Hoc fortasse, sicut Doctori Hulmio videtur, rapido morbi ad infelicem suum exitum cursui, recte attribui possit. Quam ob rem, aliter ac in diuturnioribus morbis, quique suum lentius peragunt cursum, tempus ad statum cerebri mutandum, hac in febre, deficit.

Morbo accedente, albida fit lingua et humida; postquam autem aliquanto longius progressus fuerit, albescente obducitur materia: Nonnunquam vero, et haud quidem raro, arescit durescitque; atque fusca ipsa quoque materia, mox fusci evasura coloris, obtegitur. Fusca quoque sorde, et ad nigritiam vergente, interdum oblinuntur dentes.

Virium prostratio cursu adeo celeri subit, ut, post primum vel secundum diem, ex quo tempore accesserit

febris,

febris, lectulo ſeſe movere aegrotae haud quidem valeant. Faeces, inſciente quidem aegrota, dejiciuntur, urinaque fluit. Colliquativi erumpunt ſudores. Totum convellitur genus nervoſum. Et, ſerius vel citius, mors illachrymabilis advenit.

Excepta ea ſignorum diverſitate, quae, hac in febre, oritur ex aegrotarum aetate, temperamento, corporiſque habitu, paucos fortaſſe morbos, quorum ſigna, ſerie minus interrupta, ſeſe excipiunt, aut in quibus morbidae, cadaveribus ſectis, ſpecies minus inter ſe diſcrepant, inveniemus. Hunc morbum contagioſum eſſe, plerique auctores exiſtimant. Puerperas ſaepe, rariſſime autem alias, invadit.

Morbidae ſpecies, quas in conſpectum dederunt cadavera inciſa.

Phaenomena, quae ſecta hoc morbo mortuarum cadavera, noſtris oculis, in noſocomio jam dicto, ſeſe obtulerunt, quaeque ex iis a Homio ingenioſo recenſitis, parum diſſident, quam pauciſſimis enarrabo.

Inflammatio

Inflammatio plus minusve violenta, per totum peritonaeum sese diffuderat; sed, in nulla abdominis parte, inflammatio altius, ac in hanc membranam, penetraverat. Omentum veluti tabe consumptum; nunquam tamen, etsi Hulmio Leakioque aliter visum est, gangraena affectum. Intestina graviter inflammata omnia. Peritonaei inflammatio, maxime circa caput caecum, violenta fuit. Abdominis cavo, seri luteoli, turbidi, et aliquando etiam male olentis, sex vel septem circiter librae, semper repertae sunt; et, hoc super sero, praesertim in pelvi circa uterum, quoque coagulabilis gelatinosaque natabat materia; quae ex visceribus exudaverat, eademque obducebat. Intestina tenuiora flatus fere semper distendebat; atque ex cadaveribus quibusdam, integumentis musculisque incisis, copia aëris foetidi, magna vi, erupit. Sese in consuetam magnitudinem plerumque contraxerat uterus; et, incisus, praeter inflammationem soli peritonaeo inductam, usitata omnia edidit signa sanitatis. Gangraenae sphacelique signa, nisi in cadaveribus nimis longo post mortem tempore sectis, nunquam adfuerunt.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Corpus, nullo in ſtatu, aeque, ac poſt partum, eſſe febri obnoxium, ſatis, credo, inter omnes convenit. Hoc duabus ex cauſis oriri videtur,

Debilitate, ſcilicet, et

Irritabilitate, adauctis.

Quae cauſae puerperas ſolito debiliores reddunt, eae multiplices variaeque inveniuntur. Et animi enim et corporis defatigatione, quam gravidae perpetiuntur, ſilentio praeterita, magna quoque nutrimenti copia, quam, novem per menſes, ut foetui ſuppeditent, omnino neceſſe eſt, magnam perſaepe debilitatem inducit. Eam, quae inde ſupervenit, debilitatem, et ſanguis quem mulieres, parturiendi tempore, ammittunt, et ſanguinis qui, menſibus graviditatis nondum completis, ſeſe per

uteri vaſa circumegit, in novum, uteri poſt partum contractione, curſum derivatio, magnopere adaugent.

Irritabilitas quae graviditatem comitatur, magnam anorexiam et dolorem ventriculi, atque moleſtum mammarum ſenſum fere ſemper concitat. Haec ad irritabilitatem, ideoque ad febrem proclivitas, ex quo mulier conceperit tempore, locum obtinet; mulieres enim, dum vix adhuc gravidae redditae fuerunt, ſolito timidiores evadere conſpicimus; et ſi, eodem quoque tempore, inducta, quacunque ex cauſa, debilitas fuerit, eo morbis affici fiunt proniores. Hanc rationem ſatis habere veritatis, ex eo apparet, quod, quo debiliores puerperae, ulla ex cauſa, redditae fuerint, eo in majore contagionis diſcrimine verſantur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Quae ad hanc febrem inducendam plurimum pollent cauſae, eae ſunt, aër ſtagnans; omnia, qualiſcunque ſint generis, quae corpus ad inflammationem proclive

reddunt,

reddunt, ut cibi ſcilicet conditi, vel cupiditate non urgente, vel nimia ſaltem copia vorati; ſpirituoſi, qualeſcunque ſint, liquores: Contraria ex parte, diaeta, quam conveniat, parcior; putridorum, quae in noſocomiis generantur, effluviorum contagio; frigus, praeſertim humidum, vel calor nimius corpori admotus; immodicae, praecipue ſanguinis, evacuationes; nimis arctis abdomen faſciis involutum; alvus aſtricta; his varii animi affectus, nimirum, anxietas, gaudium, ira, aliique non pauci, quos hic memorare uſitata hujuſmodi diſſertationum vetat brevitas, accedere poſſint; vituperanda denique munditiae incuria.

His ex cauſis, quae, hac in ratione, ultime recenſetur, noviſſimumque quaſi agmen claudit; ea, omnibus fere noſocomiis, crebriores, quam caeterae, effectus gravioreſque producit. In omnibus enim inopia morbiſque laborantium aſylis, perraro, niſi neglectis munditiis, ſtraguliſque et cubiculis non ablutis et expurgatis, in puerperas ingruit febris; neque unquam, hac non fovente cauſa, inveteraſcit aut contagioſa evadit. Ita Dublini res eo ſeſe habuit tempore, quo ibi medicinae

ſtudiis

ſtudiis incubui. Tunc enim temporis, puerperarum numerus ſolito major, ut noſocomii beneficiorum eſſet particeps, petivit; et, eam ob cauſam, ut omnes aedium partes penitus expurgarentur, utque lectorum fulcra denuo collocarentur commodiuſque, inter eos, qui his moeſtis aegrotarum praeeſſent ſedibus, ſapientiſſime benigniſſimeque agebatur. Interea autem ibi, magna, inter puerperas, vis febris coorta eſt; quod ſalutiferum hoc conſilium, aegrotiſque in poſterum tam multum profuturum, irritum fecit.

Eadem haec cauſa, neglecta ſcilicet munditia, plurimum, in regio hujus quoque urbis noſocomio, tum potuiſſe videtur, cum in puerperas invaſit febris, et, per quoddam tempus, magis indies increbuit. Doctor enim Youngius, medicus non minus in morbis ad cauſas indagandas ſagax, quam in curandis peritus, et noſocomii, eo tempore, medicorum unus, hunc ingraveſcentem morbum neque levari, neque omnino tolli poſſe, aedibus non prius expurgatis, perſpexit et affirmavit. Hae jam recenſitae cauſae, accedente inſuper coeli intemperie, febris, quae tantam puerperarum ſaepe edidit ſtragem, ſi

non

non ſolae, ſaltem praecipuae, eſſe videntur. Aëra, multas ob cauſas, peſtiferum evadere poſſe, ab omnibus rerum phyſicarum peritis conceditur. Quales ſint autem eae cauſae, multo explicare difficilius eſt; adeo ſunt enim obſcurae, ut non, niſi ex quos edunt effectibus, eas eſſe, cognoſcere poſſimus.

DE MORBI NATURA.

Quas, hac de re, apud auctores invenimus opiniones, eae admodum ſunt variae. Omnes enim fere homines, ne medicis quidem exceptis, ad concipiendas variis de rebus quae ſenſibus obverſantur notiones, quam ad res ipſas ſtudioſe obſervandas, proniores ſunt; ideoque, generalia praecepta ſpecialibus ex rebus, hiſque perſaepe obiter tantum obſervatis, colligere feſtinant. Rebus igitur ita ſeſe habentibus, clariſſimorum tantum auctorum, qui hac de re ſcripſerunt, opiniones, quam breviſſime potero, ſeligere, mihi nunc in animo eſt. Quibus fideliter traditis, dein talem de ipſa morbi na-

tura

tura proferre opinionem, taliaque eum medendi consilia proponere, aggrediar; qualia et veritati, et meae peritissimorumque experientiae medicorum, consentanea esse videantur.

Asylis quae morbis laborantibus paterent nondum exstructis, omnes quidem medici, hunc morbum unquam contagiosum evasisse inscientes, suam, vel ex obstructis lochiis, vel ex lactis metastasi, originem fere semper ducere existimaverunt. Exaedificatis autem nosocomiis, opportunior hujusce febris et causas et naturam investigandi cognoscendique occasio medicis oblata est; ideoque, tempore et diligentia ad hunc morbum observandum adhibitis, eum, etiamsi nihil obstaret, quo minus dictae modo evacuationes optime sese haberent, nihilominus puerperas, vi et periculo haud imminutis, invadere, compertum est.

Qua re cognita, medici aliam et probabiliorem causarum hujus morbi rationem reddere, summo studio conati sunt. Proximam ejus causam esse vehementem intestinorum inflammationem, et Hulmio et Leakio, utrisque

utriſque penitus medicinae ſcientia imbutis, viſum eſt: Quantum autem ad cauſas ipſas, quibus haec inducatur inflammatio, attinet, diverſas in ſententias, et prorſus inter ſe contrarias, iverunt. Ille, eam ex uteri preſſura, graviditatis tempore, oriri; hic autem, ex eadem hac preſſura amota, cenſet.

Hulmius pro ſua opinione ita differit. Qua, ait ille, uterus ampliatur ratione, eadem inteſtina premet, et, ſex menſibus fere elapſis, ea multum gravabit. Appropinquante itaque parturiendi tempore, inteſtina in tam anguſtum ſpatium coarctabit uterus, ut fieri non poſſit, quin in iis ſanguinis motus magnopere impediatur. Hinc igitur evenit, ut, in minuſculis horum viſcerum vaſis, nimia congeratur ſanguinis copia: Quacirca, tunicae quoque ampliorum quidem vaſorum nimis diſtenduntur, ideoque iiſdem nonnihil atoniae inducitur. Inde vero mulier, dum uterum gerit, propter ſanguinis ad uterum curſum, nullum incommodi accipere videtur.

Foetu

Foetu autem expulſo, uteroque iterum collapſo, ſanguis, idem ait auctor, in novum divertitur curſum, in vicinorum praecipue inteſtinorum vaſa; quae, propterea quod, ob preſſuram modo dictam, atonica evaſerint, haudquaquam ad ſanguinem eum propellendum pollent, quem adaucta nunc accipiunt quantitate. Neceſſe eſt igitur, ut etiam plus, quam prius, diſtendantur, utque, iis periculoſa tandem inflammatio inducatur.

Quum, Leakii opinionem inter et eam nunc propoſitam, nihil interſit, niſi quod jam ſupra memoravi; argumenta ejus proferre, a re, de qua nunc agitur, alienum eſſe videretur.

Quamvis ſolertia horum utriuſque auctorum magnopere quidem miranda eſt; attamen, veritate duce, opus eſt, ut eorum opinionibus, utpote parum certis, parvum fidei adhibeamus. Si Hulmii enim theoria veritati congrueret, quidnam afferri poſſet rationis, Quare, utero adhuc gravido, ideoque inteſtina et omentum graviter premente, morbus hicce non magis ſaeviret? Quare effectus nunquam, niſi poſt cauſam amotam, ſeſe oſten-

oſtenderent? Quare idem hic morbus non latius crebriuſque graſſaretur; praeſertim cum gravidis omnibus remota ejus cauſa, uteri ſcilicet in omentum et inteſtina preſſura, ſemper adſit?

Nec mihi cum Leakio, hanc inflammationem ex amota uteri preſſura pendere, convenit. Secundum hanc enim opinionem, veriſimilis nulla morbi ratio reddi poſſet. Namque ſi inflammatio, quae in puerperarum febre inducitur, nullam, praeter uteri preſſuram, agnoſceret cauſam, fieri quomodo poſſet, Ut hic morbus unquam contagioſus evaderet? Ut eum crebrius ſaevientem, citiuſque puerperas poſt partum invadentem, non obſervaremus? Ut eadem prorſus ſigna quibus dignoſcitur hic morbus, interdum in nutricibus, iiſque quae parturientibus aſſidere ſolent, ſeſe oſtenderent? Utque, denique, rimatis earum viſceribus quas remittens vel intermittens ſecum rapuerit febris, morbidas plane eaſdem ſpecies, quae noſtris obverſantur oculis, exploratis viſceribus earum, quas febris puerperarum propria abſtulerit, haud raro aſpiceremus?

Ob has igitur rationes, utriuſque theorias pro dubiis habere, mihi fas eſt; omenti enim et inteſtinorum inflammatio, pro effectu hujus morbi, quam cauſa, rectius habenda eſt. Graviditas, etſi mulieres ad febrem ſolito procliviores reddat, attamen, quum hicce morbus interdum evadat contagioſus, praecipua ejus cauſa remota exiſtimari non poteſt.

Aëra contagionis vehiculum eſſe, ab omnibus conceditur; ſed, quod ad contagionis naturam attinet, magnopere inter ſe diſſentiunt auctores. Eam ſui generis contagionem eſſe, medicorum nonnulli propterea exiſtimaverunt; quod rariſſime alias, niſi puerperas, afficit. Cum vero earum, quae mulieres huic contagioni obnoxias reddunt, cauſarum indolem reſpicimus, quarum ſine conſpiratione, ipſa haec contagio agere non poteſt: Rationem ab ejus actione praecavendi: Et denique diros quos edit effectus: Ut credamus potius adducimur, hanc eſſe ſpeciem ejus contagionis, quae, ut Culleno videtur, ſynochum efficit; ita tamen miti praeditam indole, ut eas tantum afficiat mulieres, quas quaedam cauſae admodum in febrem proclives fecerunt.

DE MORBI DIAGNOSI.

Etſi haec febris a caeteris morbis, ſignis iis quae ſupra memorata habui, praeſertim acutiſſimo eo abdominis ſenſu, quo tactus evaſerit impatiens, diſcriminari poteſt; attamen, quoniam multum eſt periculi, ne nonnulla ex ejus ſymptomatis, cum iis confundantur, quae, aliis in morbis, ſeſe oſtendunt; ut praecipuas res, quibus ab aliis differat morbis, in hac diſſertationis parte memorem, omnino opus eſt.

Acutiſſimi abdominis dolores qui hanc comitantur febrem, a doloribus iis qui poſt partum ſubeunt, in hoc plane differunt; quod illi, per totum morbi decurſum, graviſſime, urgent; dum hi nunc omnino ceſſant, iterumque, quoddam poſt intervallum, redintegrantur. Quinetiam his nulla adeſt febris, neque ſigna ejus propria; quorum autem utraque illos ſemper comitantur. Periculoſiſſima haec febris, ab ea cui Lacteum inditur

nomen,

nomen, vehementiſſimo abdominis dolore, tactuſque quidem leviſſimi impatientia, facillime dignoſcitur. Praeterea, mammarum tenſio, et pungentes circa mammas atque axillas dolores, puerperas febre implicitas nunquam infeſtant. Ab uteri denique inflammatione, in hoc differt; quod nullum gravedinis tumoriſve ſenſum, neque dolorem, in uteri regione, urentem, pulſatilem, ſeſeque in partes diffundentem vicinas, habet.

Hi praecipui eſſe morbi videntur, qui ullam puerperarum febris ſimilitudinem habent. Plerique quidem auctores, qui de hoc morbo tractaverunt, ſigna quaedam, quibus febre miliari dignoſcatur, referre conati ſunt: Hoc autem fieri poſſe quis credat, qui verba celeberrimi Culleni ſecum reputaverit? Dicit enim hic auctor,

" I cannot find that any ſymptom, or concourſe of " ſymptoms, are ſteadily the ſame in different perſons, " ſo as to furniſh any ſpecific character of this diſeaſe."

DE

DE PROGNOSI.

Si natura mulierem habitu debiliore finxerit; si forte, immodicae post partum exinanitiones, naturali eam vigore spoliaverit; vel si denique morbus vi insolita, statim post partum, ingruerit: Eo citius febris suum peraget cursum, eoque majore in periculo aegrota versabitur. Permultae infelicissimae hujus generis puerperae, ante viginti quatuor, post primum febris accessum, horas, morti occubuisse, in medicinae monumentis feruntur. Saepius vero morbus hicce, non, nisi paucos post dies, ultimam suam metam attingere, medicis observatus est.

Temporis autem spatium quod rapido perlabitur cursu, propterea quod magnopere variat, accurate definire nondum potuerunt medici. Dies tamen undecimus a prima febris aggressione, pro critico habetur die, quo alterutram in partem usitatius inclinat. Sed quo-

cunque

cunque tempore morbus leniorem ſeſe oſtendat, aegrotam ex omni mox evaſuram periculo, certa nulla febris deceſſus ſigna praeſagiunt. Senſim convaleſcit puerpera; et curatio omnino, ſed paulatim, perficitur, vel vomitione ſponte concitata, vel diu atque creberrime iteratis dejectionibus bilioſae iſtius materiae, quam, febre primo ingruente, in ventriculo exiſtere, ſupra demonſtravimus.

Inauſpicatiſſimum igitur praeſagium habendum eſt, quoties aegrota adeo evaſit debilis, ut multum ſit periculi, ne vires non valeant ad eas ferendas evacuationes, quibus exitioſus hic morbus ſaepiſſime ſolvitur. Quotieſcunque autem lochia in priſtinum redierint ſtatum, tumor et acutiſſimus dolor abdominis ſeſe remiſerint, atque humuerit cutis, nil tum periculi extimeſcendum eſt.

Frequens arteriarum pulſus, qui, in hoc morbo, fere ſemper obtinet, index diſcriminis tam quidem certus eſt, ut, quamvis caetera omnia ſymptomata decreſcant, et morbus ipſe fere omnino evaneſcere videatur; tamen,

niſi

nisi arteriarum pulsus eadem tardescant ratione, maximum est periculum, ne vel ipse hic morbus redeat, vel subeat alius.

Diarrhoea, post primum febris accessum, aegrotam invadens, tardiore arteriarum pulsu paulatim superveniente, salutem indicat: Sed si, post crebriores alvi dejectiones, seu naturaliter seu remediorum ope concitatas, arteriae nihilo rarius micarent, hoc pro certissimo indicio puerperam in summo discrimine versari habendum est.

Puerpera, cui, graviditatis tempore, astricta fuerat alvus, plus extimescendum habet periculi, quam si, dum uterum gereret, alvus modice soluta fuisset.

DE PROPHYLAXI.

Hunc morbum unquam publice grassari, ante circiter quadraginta duos abhinc annos, medici omnes prorsus ignorabant,

ignorabant, 1746to anno, in Nosocomio Parisiensi [a], funeste saevit. Decem post annos, Lugduni magnam in puerperarum nosocomio stragem fecisse, ex medicinae monumentis accipimus.

Anno 1772do, Doctor Leakius, in accurata hujus morbi ratione quam scriptam edidit, omnia ejus refert signa, sicut sese, in Britannico puerperarum nosocomio, eo tempore, ostendebant. Hic auctor est, viginti quatuor puerperas, intra sex menses, a quo tempore febris primum in eas impetum fecisset, morti occubuisse.

Dominus Whitius memorat, se certiorem, a viro spectatissima fide, qui 1761mo, in privato Londini Nosocomio puerperis medicinam, usque a Maii fine ad finem Julii, morbo tum gravissime saeviente, adhibuit, factum fuisse; viginti hoc morbo implicitas, e vita decessisse; et duo cadavera humata fuisse, una in arca inclusa, quo tam infelix medicorum successus minus appareret.

In

[a] Gallice, Hotel Dieu.

In alio puerperarum receptaculo, vico Brownlowiano, ſito, cujus cura Doctori Huntero demandata fuerat, triginta duae puerperae hac febre, ſpatio duorum menſium, correptae ſunt; quarum una tantum ſuperſtes evaſit.

Hiemali 1773tii anni tempeſtate, in puerperas Noſocomii Edinburgeni adeo funeſte ingruit, ut quas corripuit, earum unaquaeque mortem obiret. Doctor Youngius, quinque aegrotis amiſſis, et morbo etiam tum ſaeviente, parturientibus puerperarum cubiculo noſocomii interdixit. Ex duabus in clinicorum receptaculum poſtea acceptis, cui, eo tempore, Doctor Homius praefectus eſt, una interiit.

1782do anno, Doulcetius Regiae Pariſiorum Societati narratiunculam, de ſignis hujus febris, et de ratione eam medendi in noſocomio Pariſienſi, ubi, per duodecim fere annos, exitioſiſſima fuerat, edidit.

Eadem haec febris, bis in puerperas in Noſocomio Dublinienſi ingruit contagioſa. Anno 1774to, ex du-

centis octoginta octo puerperis, quas Fosterus [a] memoratas habet, tredecim obierunt. Anni 1787mi, Martio et Aprili mensibus, quo tempore ibi studiosus eram medicinae, ex centum viginti octo, quae in nosocomio pepererant, undecim hac febre correptae sunt; quarum septem mors secum abstulit. Funestissima haec omnia exempla, acerbissimam hanc febrem esse atque exitiosissimam, satis superque demonstrant.

Quum igitur hic morbus adeo sit periculosus, ab ejus impetu praecavere, proprium medicorum officium esse debet. In hunc finem, ut mulieri, non solum post partum, sed etiam dum uterum gerit, summam adhibeant curam, omnino opus erit. Dum etenim adhuc gravida sit, maximo ex usu mulieri erit, eas res studiosissime vitare, quae eam febri post partum opportuniorem faciant. Mulierem igitur, ex quo conceperit tempore, usque ad ultimum fere diem graviditatis, modica uti exercitatione oportet; utpote quae corpus firmum reddit. Vestimenta arcte ligata omnino vitanda sunt. Ut ex

[a] Vide Foster. Med. p. 383.

ex nimia abdominis coarctatione permultum periculi extimescendum est, laxis amiciri vestimentis, per totum graviditatis spatium, illam oportet. Diaeta nutriente, non autem stimulante, utatur. Alvus astricta, sive praeter naturam soluta, studiose vitanda est; et, si non semel, in dies, moveatur, auxilium petendum est ex laxantibus remediis. Inter parturiendum, et post labores finitos, humiditas, quatenus id fieri possit, sedulissime caveri debet.

Foetu expulso, abdomen statim fasciis leviter cingendum est; ne, ob pressuram uteri subito remotam, sanguis in vasa vicinorum viscerum nunc expedita, a cerebro nimis copiose irruat; quod si accidat, ingens periculum est, ne mulier in gravem animi defectum ruat praeceps. Maximo quoque ex usu erit, purum aëra in cubiculum admittere; ita tamen, ut puerperae lectus cursui ejus ne objiciatur. Quod ad diaetam attinet, sua voluptas quamque trahit; et nihil hic vetat, quo minus unicuique quodammodo indulgeamus. Quoties autem puerpera plethorico est habitu, lautiore diaeta interdicatur. Rarissime vero, ante secundum vel tertium

tium a partu diem, cibum, ſua ſponte, puerperae appetunt.

Denmannus, Sydenhami veſtigiis inſiſtens, hanc febrem ſaepiſſime eo excitari cenſet, quod puerperae, nimium infirmae adhuc valetudini credentes, e lectis maturius ſurgant. Contraria autem opinione eſt Whitius: Ait enim, moleſta multa ſymptomata, ex lochiis in utero et vagina morantibus, ſuam originem ducere; atque, quo ab his malis caveatur, ut caput puerperae humerique altius ſolito ſuffulcirentur, atque, quoties capiat cibum, erecta in lecto ſederet, nobis ſedulo perſuadet. Hic autem ulterius, quam convenit, progreſſus eſt; propterea quod, ne immodica ſanguinis profuſio inducatur, ex quem ille inſtituit uſu, grave periculum eſt.

In medio igitur, has inter ſententias, tutiſſime ibimus. Tertium poſt diem, ut uſque decumbat, nil fere opus eſt. Tranquilla, et, quantum id fieri poſſit, a metu, ira, odio, nimio gaudio, caeteriſque animi perturbationibus, quae excitant mentem aut deprimunt, vacua ſervari

vari debet. Permulta enim exempla enarravit Smellius, ubi, has ob causas, puerperae adeo inquietae evaserunt solicitaeque, ut salutiferae obstruerentur secretiones, et subirent febris, convulsiones, mors.

Primo aut secundo, post partum, die, alvus, si opus erit, leniter cieri debet; vel, quocunque alio tempore, puerpera molesto abdominis sensu vel dolore afficiatur; etiamsi id, paucas post partum horas, accideret. Quaedam ipse vidi exempla, ubi puerperis permultum commodi talis usus attulit. In nullo enim puerperarum domicilio, varia quae alvum leniter cient medicamenta, saepius liberiusque, quam in nosocomio Dublinensi, adhibentur; quod pro praecipua forsan causa, quare pauciores, pro rato qui eo ingreditur numero, quam alibi, moriuntur, habendum est. Febrem enim, de qua hic agitur, ibi minus, quam alibi, funestam esse; unicuique, ex puerperarum tabulis [a] ejus aliorumque nosocomiorum

[a] Vide Actor. Reg. Societ. Lond. vol. 76um, ubi has editas invenies, ab erudito et ingenioso Doctore Clark, nosocomii medico, sub finem ejus dissertationis de causis, quare mors plures virilis, quam muliebris sexus, secum rapit.

rum perlectis, inter ſeque comparatis, ſatis apparebit; neque ulla probabilior, quare id fieret, cauſa afferri poteſt, quam quae modo fuit allata.

Quoniam, quamdiu et qua copia lochia effluere debeant, nondum inter medicos convenit; et quoniam, etiam cum fluere ceſſant, hoc morbi ſignum, quam cauſa, potius habendum eſt; nihil opus eſt, ut, hac in diſſertatione, magnam iis attentionem adhibeamus.

Circiter triginta ſex poſt partum horas, lac fere ſemper ſecerni incipit; cujus praenuncii ſunt dolores fugaces, acuum inſtar, pungentes, et gravedinis circa pectus ſenſus. Tum puerperam lac praebituram, ſtatim infanti ubera admovere oportet; quo, ſi aliquid lactis jam ſecretum fuerit, locus, eo exſucto, copioſiori relinquatur ſecretioni, vel quo lac, nil adhuc ſecreto, citius ſugendo ſecernatur. Qua re facta, lactea mammarum vaſa vix unquam ita diſtendi poſſunt, ut febrem inducant.

Matre

Matre infanti lac non praebitura, mammas nunquam ſugendas eſſe, cenſet Whitius. Hoc plurimum ſalutis mulieri ſaepius afferre, libentiſſime quidem conceditur. Autem ſemper afferre, non negare non poſſum. De uno enim exemplo certior factus fui, atque aliud ipſe vidi, ubi mulier mente evaſit capta, neque prius in ſe rediit, quam lac ex uberibus elicitum fuerat. Rara quaedam igitur exempla exiſtere poſſint, ubi de aegrota actum erit omnino, ſi ad lac eliciendum non tempeſtive decurratur.

Quoniam autem ad hoc nunquam, niſi ſuprema urgente neceſſitate, decurrendum eſt; matrem meretriciae nutrici infantem mandaturam, inter primos ad obſiſtendum lactis ſecretioni conatus, ad medicamenta, quae alvum leniter moveant, confugere oportet: Utpote ſolas res, quibus ab his malis, quae ex hac ſecretione repreſſa oriantur, praecaveri poſſit.

Omnibus his rebus rite obſervatis, et praeterea ea quam deceat cura munditiis adhibita, funeſtam hanc febrem rariſſime puerperas invaſuram, mihi quidem

per-

perſuaſiſſimum eſt. Verum quum, medicorum conatibus nil obſtantibus, hic tamen morbus interdum ingruat; ſi finem huic diſſertationi prius imponerem, quam efficaciſſimam quoque medendi abſolviſſem rationem, magnopere quidem culpandus haberer.

Conſilium medendi duplex eſt:

Primo enim vim Reactionis imminuere; dein,

Secundo, Debilitatis vel cauſas omnino tollere, vel, ſi id fieri nequeat, ſaltem ejuſdem effectibus obſiſtere, medicos oportet.

In recenſendis praecipuis hujus morbi cauſis, quemdam dixi eſſe corporis ſtatum, qui, puerperas contagioni opportuniores reddendo, plurimum, mea ſaltem opinione, ad febrem, de qua hic agitur, iis inducendam conferret. Et, poſtquam quidem formam ſibi propriam induit morbus, exquiſita ſenſilitas etiamnum manet, qua omnia ſymptomata magnopere adaugeri videntur. Hanc, aliqua ex parte, hebetare, pro re maximi quidem

momenti

momenti habendum eſt; propterea quod, nimia hac ſenſilitate obtuſa, moleſtiſſima febris ſymptomata idcirco miteſcunt, ideoque ipſam citius omninoque tollere, multo facilius evadit.

Ad hoc efficiendum, frigidum aëra admittere; eos qui refrigerant liquores bibere; antiphlogiſtica diaeta uti; irritamina omnia, quibus aegrota moleſte afficiatur, tempeſtive amovere; efficaciſſima inter remedia eſſe reperiuntur.

Quod autem ad miſſionem ſanguinis attinet, ut, ne inde aegrota quid detrimenti capiat, a nobis caveatur, maxime quidem opus eſt. Quamvis enim ardentiſſimo percitus ſtudio, Leakius, in quae de curando hoc morbo edidit ſcriptis, venaeſectionem ſummis laudibus extulit; attamen, quatenus ex ejus ſucceſſu judicari poteſt, minime videtur, ipſum, eam medendi quam inſtituit rationem, adeo revera expertum eſſe fructuoſam, quam velit, ſanguinem, ingruente morbo, miſſum, eſſe credamus. Poſt quae ſtudioſiſſimus iſte morborum obſervator, Cullenus, optime de hac re edidit; cupide

quidem ſpero, miſſionem ſanguinis, adeo hac in febre perniciosam, dehinc in deſuetudinem mox abituram. Ait enim,

" In the caſe of ſynocha, there is little doubt about " the propriety of blood-letting; but there are other " ſpecies of fever, as the ſynochus, in which a violent " reaction and phlogiſtic diatheſis prevail during ſome " part of the courſe of the diſeaſe; while, at the ſame " time, theſe circumſtances do not conſtitute the prin- " cipal part of the diſeaſe, nor are to be expected to " continue through the whole courſe of it; and it is " well known, that, in many caſes, the ſtate of violent " reaction is to be ſucceeded, ſooner or later, by a ſtate " of debility, from the exceſs of which the danger of " the diſeaſe is chiefly to ariſe: It is therefore neceſ- " ſary, that, in many caſes, blood-letting ſhould be en- " tirely avoided; and, even though, during the inflam- " matory ſtate of the diſeaſe, it may be proper, it will " be neceſſary to take care that the evacuation be not " ſo large as to increaſe the ſtate of debility which is " to enſue."

Quoniam

Quoniam puerpera hac febre implicita, tam cito a plenitudinis ſtatu atque tenſionis, in periculoſiſſimum torporem atque debilitatem fere ſemper decidit; ideo ad ſanguinis miſſionem minime decurrendum eſt; niſi ejus impetus adeo ſit vehemens, ut plus inde periculi exſtimeſcendum ſit, quam quod ſuperveniente immineat debilitate. In noſocomio Pariſienſi, nunquam minime quidem profuit. Et, in tribus aut quatuor exemplis, in quibus ſanguinem, invadente morbo, miſſum ipſe vidi; res, nihil plane aliud agere, quam gradum mortis, prius celerem, multo adhuc celeriorem facere, viſa eſt.

In Diſſertatiuncula Douſetii, a Regia Societate Pariſienſi edita, novam is auctor puerperarum febrem medendi inſtituit rationem; quae, ob eximium in noſocomio Pariſienſi ſucceſſum, ubi hic morbus, multos per annos, ſaevierat, et perennem auctori famam attulit, et, ut eum ſolenni donaret numiſmate, regem adduxit. Inſignis haec ratio, quae ſpem medicorum nunquam mentita fuiſſe narratur, qualis ſit, et ex quibus conſtituatur remediis, nunc breviter dicendum eſt.

Celeberrimus

Celeberrimus hic medicus, febre primo invadente, puerperae quindecim ipecacuanhae grana, in duas partita doſes, ſeſquihorae intervallo, ſumendas, dedit: Quae et vomitum et alvum fere ſemper cierunt, quaſque, poſtero die, ſignis ſive remittentibus ſive non, eadem quantitate, eodemque intervallo, iterandas curavit. Morbo nihilo remiſſiore, ejuſdemmodi doſes, tertio vel quarto quidem die, pro rata ſymptomatum violentia, adhibitae fuerunt. Potu pro communi, aegrotae permiſit, ut ſeminis lini infuſum, ad libitum, biberet. Die ſeptimo vel octavo, aegrotae, alvus quo leniter moveretur, catharticum quoddam mite adhibuit; fecitque, ut idem, prout plus minuſve urgeret morbus, ter quaterve, quibus conveniret intervallis, iteraretur.

Haec medendi ratio, in quatuor exemplis, ubi periculum ex ea factum vidi, et ubi ipecacuanha, primo paroxyſmo febris accedente, exhibita fuit, ita melius omnium opinione ceſſit, ut doſin, ſecundum poſt diem, redintegrare, nihil opus fuerit. Quatuor haec exempla, aeque ac nonnulla ex iis quae in noſocomio Pariſienſi obvenerunt, quibuſque, ineunte primo paroxyſmo, ad

ipecacuanham

ipecacuanham decurſum eſt; anne exempla fuerint ephemerae lacteae, et felicem habuiſſent exitum, etſi nunquam adhibitum fuiſſet hoc medicamen; neſcio quidem quid dijudicarem. Sed haec res utcunque ſit, ratio hic tradita, quoniam feliciſſime evenit in centenis quibuſdam exemplis, ubi Doulcetius eam inſtitutam fuiſſe affirmat, certiſſime noſtram jure poſtulat attentionem; et ſemper, quoties puerperae quidem minimo afficiantur rigore, propterea adhiberi debet; quod rigor, ſi ſemel inductus fuerit, quo tendat, prorſus ignoramus.

Nil valente hac medendi ratione, auxilium deinceps a purgantibus remediis petendum eſt; quae et irritationem ex retentis orientem faecibus tollendo, atque corruptos evacuando humores, qui in inteſtinis adſint, multum, ipecacuanha inefficace reperta, ad febrem, de qua hic agitur, diſcutiendam pollent. Hulmius affirmat, diarrhoeam unam ex iis eſſe rationem, quibus vires naturae medicatrices hunc morbum ſubmovere conantur; ideoque adjuvandam potius, nimia ſi non ſit, quam compeſcendam, prorſus exiſtimat. Foſterus maximam ſpem in hujuſmodi medicamentis ponere videtur. Con-

ſentiunt

ſentiunt quoque Denmannus et Leakius, rationem hanc febrem tollendi purgantibus remediis, tutiſſimam eſſe, aeque ac efficaciſſimam. In duobus exemplis quae proſperos Dublini habuerunt exitus, ſal Glauberi, quibus conveniret doſibus, quotidie adhibitus eſt: Et, quartum poſt diem, quo ſuſtinerentur aegrotae vires, ad vinum; et quo nocte quieſceret, ad laudanum liquidum, gravi nullo ſigno vetante, ſemper decurſum eſt.

De reactione et quibus imminuatur remediis, ſatis dictum: Nunc igitur, qua ratione effectibus debilitatis obſiſti poſſit, explicare, opus eſt ut feſtinemus.

Debilitatis effectibus optime occurritur iis remediis, quae irritabilitatem aut imminuunt aut tollunt. Hujuſcemodi efficaciſſima reperiuntur opium et vinum, quorum tempeſtivus igitur uſus, periculoſa debilitate urgente, nunquam differendus eſt. His remediis hauſtus ſalinus, et frigus quoque admotum, commodiſſime accedere poſſint.

Cortex

Cortex Peruvianus, anne, hac in febre, tute et cum fructu adhiberi poſſit, certatim inter medicos diſputatum. Ut interdum adaugeat diarrhoeam, et etiam ſublatam haud raro iterum inducat, minime quidem poteſt dubitari [a]. Praeterea, hoc in morbo adhibitus, ſolet plerumque vel gravem abdominis dolorem afferre, vel jam allatam augere. Cautiſſime igitur, ſi unquam, adhibeatur.

Veſicatoria, quoniam in omnibus fere febribus parum proficiunt [b], et ingens hic periculum eſt, ne, graviſſimam inducendo ſtranguriam, permultum aegrotae incommodi afferant; omnino ſunt omittenda.

Ecce nunc abſolutam eam medendi rationem, quae mihi efficaciſſima eſſe videtur, et cujus, peritiſſimos inter medicos, maxime inclaruit uſus. Sed optimis medicorum conatibus non ſemper aſpirat Apollo. Interdum enim, funeſtiſſima haec febris, qua,

" *Triſtius*

[a] Vide Leak. p. 137.

[b] Vide Cullen. Prim. Lin. p. 332.

" Tristius haud ullum monstrum, nec saevior ulla
" Pestis et ira Deum, Stygiis sese extulit undis."

VIRG.

irrita Apollonis arte, saepe nosocomia pervagatur; et quasi insatiabiliter furens, omnes corripit puerperas, correptasque occidit. Quoties, illachrymabili comitante morte, grassatur, parituris, ne in receptaculum puerperarum introeant, dum penitus expurgatae fuerint aedes, interdici oportet. Namque hanc febrem, dum ita saevit, contagione loci propria semper excitari, satis ex eo apparet; quod, in eadem urbe, propriis autem domibus, puerperae eadem febre non corripiantur.

F I N I S.